

www.e-rara.ch

Adriani Turnebi adversariorum tomi III ...

Turnèbe, Adrien

Basileae, 1580-1581

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-21>

Adriani Turnebi adversariorum liber decimusquintus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ADRIANI TURNEBI AD-
VERSARIORVM LIBER
DECIMVS QVINTVS.

CAPVT I.

Catapulta, scorpio, videlicet, pransum paratum, lacunam facere, elixum calceum facere, menstrua soluere, infans facinus & nefans.



MEDICORVM compositiones hoc imitabitur caput, qui species diuersissimas in vnum miscent medicamentum, vt morbū profligent, & cum eo iusta acie pugnent collatis signis, qui non vna manu vinceretur. Nos quoque hic varia miscbimus. Videntur tormentorum militarium nomina quorundam, etiam eorū missilibus & sagittis tributa fuisse. animaduerti enim catapultam nō tantū esse tormentum: Plautus in Curgul. Sc. Beatus videor.

Nam ille ad me catapultæ crebræ commeat.
id est, tela. Eadem in fabula, Sc. Argentariis. pilum catapultarium vocat,
Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium, Atque ita te neruo torquebo itidem, vt catapultæ solent.

Catapulta.

Scorpio.

Scorpio tormentum est bellicum, sed telum etiam illius tormenti, id est, quod eo tormento mittitur: Oppius lib. 5. belli ciuili, *Scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso, & ad terrā defixo.* videtur enim potius telum quā tormentum significari: quanquam si quis tormentum velit, nō repugnabo. Videlicet, quod est, videre licet, vel vīdeas licet, suę originis casum interdum retinet: Plautus in Sticho, Sce. Ita me dij bene ament.

Videlicet.

Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit.

Iterum,

Videlicet illum fuisse nequam adolescentem.

Pransum paratum.

idque est tanquam videre licet. Pransum paratum erat satyræ Varronis titulus velut de epulis paratis, atq; speciem prouerbij præ se fert: ex ea apud Nonium affertur,

Contrā coactus ceruus latratu canum

Fertur bisulcis vngulis necem videns.

Lacunam facere. Elixum facere.

Facere lacunam, est humi aquam fundere. Elixos facere calceos, est calceos madefacere, vt in terra vliginosa & lutosā: interdum etiam in aqua calida, vt & balneator elixum lib. 3. epig. 7. à Martiale dicitur. Varro apud Nonium, in panimento audes facere lacunam, & in humo calceos facis

elixos: id quidam putant de humatione dici, cum satyræ titulus sit, *capu vlyianu*: & calciati mortui lauarentur. itaque in Alconio in Milonianam quidam legunt, vulgus imperitum corpus nudum calciatum: melius tamen est caldatum, id est, calda lorum scribere, & Varronem existimo tantū de calceis aqua madidis id dixisse. Labofus locus dicitur à labe & lapsu lubrico: Lucillius apud Nonium,

Præterea omne iter hoc est labofum atque lutosum.
Menstrua soluere, est sacra soluere, quæ mense quoque debentur: Sallustius, *Conuentum vitantes ad menstrua soluenda montem ascendunt.* Obstrigilator est reprehensor, ductum à strigilibus, quibus cum vehementius stringimur, etiam plerunque lædimur: Varro, *emulum illius artis atque obstrigilatorem.* Mæchocinæ dum verbo composito finxit Lucillius, contumelioso & infando nomine eos appellans, qui & adulteri sunt, & iidem molles: Imberbi, inquit, *androgyni, barbati mæchocinædi.* Puellitari verbum, vt multa alia, Laberius finxit, de iis agens qui cum vetulis rem habent, quarum naturam eugium canum vocauit: *Quenam mens quæ deliritas vos suppolitores facit cum cano eugio puellitari?* Etli à doctis viris, quæ sint felices arbores quæ infelices, scribitur, tamen præter ea quæ traduntur, infelicem arborem pro furca & cruce veteres posuerūt, vt, *infelici arbori suspendito,* libro 5. apud Liuium, & Ciceronem pro Rabirio. Vt à pluo pluui reperitur, nō tantū plui: sic à luo luui: Lucilius,

Tantalus qui penas ob facta nefantia luuit:
quod etli friuolum est, tamen licet me friuolarium putent, qui fastidiosè omnia contemnerent solent. Infans interdū infandus est: Accius, *priusquam infans facinus oculi vescuntur mei.* sic & modò nefantia pro nefandis Lucilius posuit. veniunt suppetias & proficiscuntur suppetias, locutiones elegantioris sunt seculi & oris: Oppius libro 5. de bel. Afric. *Oppidisq; suppetias profectus est.* Iterum, *nuntiabantur auxilia magna equitatū: que oppidanis suppetias venire.* Sic ex variis velut licciis & discoloribus hæc mihi tela texta est: sed hæc scribimus ludentes, nec pro seriis legi volumus. Remisso mihi animo opus est & hilari & à studiis grauioribus libero, quæ animi contentionem desiderat: veluti que ludibundum lectorem istis opto, nō supercilij censorij, nec patrum sapientis.

Menstrua soluere.

Facinus & nefans.

CAPVT II.

Quaedam in Cicerone emendata.

QUOD in aliis editionibus prætermis-
sum membrum fuerat in 1. Philippica, à
Mureto doctissimo & politissimo viro repre-
hensum & repositum est: sic enim alij peruul-
garant, sine quo nec beatus nec clarus esse quisquam po-
test: ipse, nec beatus nec clarus nec tutus esse quisquam
omnino potest. fatetur tamē in optimis libris scri-
ptum extare, nec vnctus esse quisquam omni potestate. 16
hæc me verba velut properantem gradum si-
stere coegerūt, cogitationemq; in ipsis defige-
re, si forte quicquā eruere possem. Puto igitur
Ciceronem scripsisse, nec actus esse quisquā omni po-
testate potestate. nam librarius scriba, potest alterū
præteriri, geminatione offensus, quæ tamē ne-
cessaria est: & veteribus scriptoribus non inso-
lita est idem sonantium syllabarum duplica-
tio, quam sequentium auctorum delitiæ vt in a-
mœnam refugerunt, cum & voluptati eam an-
tiquos habuisse intelligentibus doctisq; com-
pertum sit. Sic moles molestiarum, statim initio de
Oratore scripserat, si fides antiquis libris habē-
da est, exoleuit tamen moles, subductum ab au-
dacibus hominibus, & eiusdē soni strepitum
horrentibus. In 2. quoque in Antonium, si non
fallit coniectorem somnium suum, eo in loco,
qui cum hoc ipso tempore stent cū gladijs, suspicor me
non malè diuinasse quid Tullius scripserit. nā 30
cum in veteri libro Muretus repererit, qui cum
hoc ipsum: transpositis elementis leuiterq; mu-
tatis, qui cum hoc pessimo legendum arbitror,
quod mediufidius mirifice sententiæ conue-
nit, nisi me ludit animabilis illa infania, qua
nostra plus æquò nobis probantur & placēt,
vt & simiis sui catuli. Et quoniam hoc capite
operam impendimus nō tam illustrandæ ob-
scuritati, quàm emendandis vitiis: quanquam
& hoc ipsum vel maximè illustrat, sententiæ 40
bonitate pereunte incommoditate verborum
& inconcinnitate: in prima quoque Antonia-
na locum interductu rectè collocato elegan-
tiæ suæ restituamus, multis molestum, & non
satis apertum. nam à quibusdam sic editur, An
si cui quod ille promissit, id erit fixum? quod idem facere
non potuit: vt multis multa promissa non fecit. ab alijs,
an si cui quid ille promissit, id erit fixum: quod idem face-
re non potuit, vt multis multa promissa non fecit. hæc
Muretus edidit, qui & se negationem traiecit- 50
se non dissimulat. ego planiorem fore senten-
tiam, & minus salebrosam existimo, si hunc in
modum legatur, An si cui quid ille promissit, id erit fi-
xum, quod idem facere non potuit? vt multis multa pro-
missa non fecit. negat enim ea Cæsaris promissa
esse debere fixa, quæ ille facere non potuit,
nec persoluere. facere enim promissum, est
quod promiseris facere & persoluere, fidemq;
tuam liberare.

CAPVT III.

*Vendere ocyma Vernæ apud Persium, &
quædam alia.*

IN eo ferè profundo puteo, in quo demer-
sam Democritus latere veritatem putauit,
horum Persij satyr. 4. versuum sententia occul-
tata videtur celari,

Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,

Cum benè distincto cantauerit ocyma vernæ.

Vendere,
ocyma
vernæ.

neque eam, vt poetæ loquuntur, in dias lumi-
nis auras è tam obscuris latebris proferre pos-
se me venditauerim, sed conatum studiosum
& operam gnauam promiserim, quæ si verum
atingat, fortunæ potius quàm eruditioni at-
tribuat, vt si aleator venerem iaceret. Ego au-
tem, vt ad rem accedam, magno ambitu verbo-
rum pauca elocutū Persium existimo, vt poetæ
munifici interdum sunt, & verborum largi &
propè profusi: sententiam enim puto, eum nō
plus quàm olerariam mulierculam sapere. oli-
tores enim in abiectissimis & contemptissi-
mis habebantur, vt prouerbiū indicat,

Sæpe etiam est olitor valde opportuna loquutus.

mulieresq; vilissimæ olera vendebant, & pet-
vrbem promercalia clamitabāt. sic Petronius
mulierem agreste olus vendentem dixit, &
ab Aristophane Euripidi mater exprobratur
oleraria, id est, *λαχαινοπωλίστρια*: quin & ipsum *σικαν*
δινονόδω ea de causa appellat, quod ne hortenu-
se quidem olus eius mater, sed agreste vende-
ret. Lepos autem quæsitus est ex dicacitate
mulierularum earum, clamantium se olera
venditare dissolutis & nequam feruis, pecu-
liumque intemperanter dissipantibus, quasi
eos sint ad frugem & parsimoniam reuocatu-
ræ. speciem enim oleris pro genere posuit.
nec tamen ab re fortassis ocymum nomina-
uit, quod *μισόδωλον* Græci ab odio feruorum ap-
pellare solent: Sotion, *τὸ ὠνιμωμ, τὰ τῆσι τὸ λυγρὸν μέγρον*
μισόδωλον, εἰς ὃ δ' ἐν ἕγρον χρησίμοσιν. Vt autem, quemad-
modum loquitur comicus Plautus, huius ca-
pitis inanimento supplementum comparem,
illud Persij satyra 4. explicabo:

— quantum non miluus oberret,

quod è natura illius alitis dictum crediderim,
vago volatu & ingentes gyros in cælo secante
oberratis. Illud etiam obicænum quidem, sed
tamen nubilo quodam obductum, aperiend-
um, eadem satyra,

Si facis in penem quicquid tibi venit amarum.

cuius est sententia, Si quicquid tibi libido sua-
det suscipis, neque ab vlla obscœnitate absti-
nes. est itaque post *facis* interducendum, vt di-
catur, quicquid tibi venit amarum in penem,
si id facis: quod est, si cuiuscunque tibi libidi-
nis pruritus molestus est, molestaque velut vr-
tica, morem geris, vt molestiam nefanda volu-
ptate depellas. sic facilius expeditiorq; senten-
tia fuerit, vt docui, interpuncto collocato.

CAPVT VIII.

*Premia, premiatores, glisces, caue canem,
de paxillo suspendere, Pellionis supellex, scul-
poneatus, bigæ cornuta, simare, septuosè.*

Præmia. **P**Ræmia dici apud Tibullum eleg. 2. lib. 1. le-
gimus, quæ nocturni fures & grassatores
capiunt. — aut rapta, inquit, præmia vult petat.
Præmia-
tores. inde eos præmiatores vocatos crediderim à
Næuio apud Nonium,

Nam in scena vos nocturnos cepit præmiatores
tollere.

Glifceras menfas, opimas, opiparas, copiofas,
& crescentibus epularum ferculis refertas, à
glifcendo dici de Grammaticis didicimus. In-

de etiam glifceis partem quandam suis voca-
tam crediderim, quæ in eduliis non contem-
nendis erat: Præcisum, inquit Næuius, omasum,

pernam, callum, glifceis, glandia. Caue canem prouer-
bium more vsurpabatur à veteribus, cum quem-
piam terrere vel arcere volebāt: ac satyra quæ-
dam Varronis hac inscriptione erat. Credide-
rim esse natū hoc prouerbium ex metu canum
rabiolorum, vel acrium & mordacium: verba
Varronis sunt apud Nonium, Quod ea die mea e-
rat præbitio, in ianuam, caue canem inscribi iubeo. cum,
inquit, eo die conuiuium præbere deberem, vt
ab aditu mearum ædium deterrerem, qui ad
condictum venturi erant, inscribi iussi ianuæ,
caue canem, ne quis ingrederetur. sumptum
est à Græcis: nam apud Aristophanem in Lyfi
strata sic scribitur, *καὶ τὸν κύναν τὴν ἐν τῇ πόρτῃ
καὶ τὸν κύναν τὴν ἐν τῇ πόρτῃ*. De paxil-
lo suspendere, à supellectile translatione no-
tionis ducta, quam suspēdere vbi emimus do-
mi solemus, significat apud Varronem parare:
vt cum Zenonem dicit nouam instituisse se-
ctam, proinde quasi eius secta sit philosophiæ
supellex quædam: eius verba sunt apud No-
nium, vbi dicitur primus Zeno nouam hæresin nouo pa-
xillo suspendisse. Sic apud Plautum supellex Pel-
lionis dicitur palus palo proximus, quod Pel-
lio pauper esset, & palos nudos sine supellecti-
le haberet. & apud Varronem,
vt nouum cribrum nouo paxillo pendeat.
nam si quid nouæ supellectilis emimus, & no-
uum paxillum adfigimus, vnde pendeat. sic ap-
ud Pindarum ode 1. Olymp. *ἀλλὰ δὲ σὺν ἄρῃ
καὶ τῷ πᾶσι τῷ ἀνθρώπῳ*. sed & apud Homerum in
Odyf. Simum pecus Nerei, pro piscibus, qui quod
naso carent, ea appellatione afficiuntur, dixit
Liuius: etsi doctos vidi, qui delphinos intelli-
gerent, quos Plinio auctore scimus simones
fuisse vocatos. verba sunt Liuij, Tum autem lasci-
um Nerei simum pecus. Sculponeatus, sculponeis
calceatus dicitur à Varrone in Serano, dum in a-
gro studiosus ruror, aspicio Triptolemium sculponeatum
bigas sequi cornutas. Bigas autem cornutas hic in-
telligo ioculariter dici boues duos aratores,
quos ad aratrum iunxerat Triptolemus, qui
frumenti sementem mortales edocuit. Cuni-
na & Rumina deæ duæ obsoletæ illius antiquo-
rum superstitionis fuerunt, quarum altera pue-
rorum lectulis & cunis, altera mammis quas
fugebāt præerat, à Varrone in Catone, vel de li-
beris educandis memorabatur, quibus lacte nō
vino fiebat, vt inquit. Sunat, quod in Nonio le-
gitur pro deprimis, falsi in simulo, & simat lego,

Glifces.

Caue ca-
nem.

De paxil-
lo suspen-
dere.

Pellionis
supellex.

Simū pec-
cus Nerei

Sculpo-
neatus.

Bigæ cor-
nutæ.

Simauit taxim ad nares delphinus vt olim.
Mouet eam coniecturam & sententia, & quod
delphini simi sunt: vnde & simonis nomine
eos gaudere Plinius refert lib. 9. cap. 8. Sepire
veteres ambage quadam verborū rem obscu-
rare, & quadam sepe obducere, dixerunt, vt &
circūueltire. Vetus poeta apud Cic. 3. de Orat.
quandoquidem iste circumuestit dictis, sepit sedulo. Vnde
& septuotie pro obscure: Ita, inquit apud Non.
Liuius, septuotie dictio abs te datur. Sed satis infi-
gniter variatum distinctumq; hoc caput est vo-
cabulis hinc inde corrogatis: verum æquē sibi
ignosci postulat ac superiora pleraque, quæ in
eodem vitio sunt, si vitium est quod ex profes-
so facis, vt aliis plus profis.

Septuotie.

CAPVT V.

Fulmenta lectum scandunt, longè fugit qui
suos fugit, rumpitur anguis, forum diadema-
ticum, internundinum, duellus.

Fulmenta lectum scandunt, prouerbium ce-
lebre & vetus fuisse à Varrone Nonius tra-
dit, nec explicat tamen. Ego ea adagione exi-
stimo significari, quod subesse debet, præesse
velle: quod subiici, imperare conari. nā quod
lectum sustinet ac fulcit, subiici lecto, non im-
poni debet: sunt enim fulmenta, fulcimenta
& fulcra: sed Nonij verba subiiciamus. Fulmen-
tum neutro, vt est in prouerbio veteri, quo Varro vitur
sepis, fulmenta lectum scandūt. Refertur & à Nonio
titulus prouerbialis satyræ Varronis, longè fugit,
qui suos fugit: quæ adagio non videtur ablu-
dere à Terentiana, Ita fugias, ne præter casam: quod est,
ita fugias, vt ne nimium longè. nam ad casam,
id est, domum, vbi tutissimum cuique perfu-
gium est, cum peruenisti, fugiendi finem face-
re debes. Opinio fuit apud veteres, carmine
sic inflari & distendi colubrum, vt disrumpe-
rerur: qua ex opinione dixit Maro ecloga 8.

Fulmen-
ta lectum
scandunt.

Longè fu-
git, qui su-
os fugit.

Rumpit-
ur anguis.

Forū dia-
demati-
cum.

Duellus.

Internun-
dinum.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
& Lucilius,
Iam disrumptetur medius, iam vt Marsus colubras
Disrumptu cantu, venas cum extenderit omnes.

Forum diadematicum à Varrone appellatum
est forum illud piscæum, & iudicium, quo vi-
ctoribus diademata & coronæ tribuebantur:
Pisis, inquit, diadematico foro præstatur virtuti laus: ge-
lu sed multo ocyus senio tabescit. Fuit & opinio olim
lupum armis validum, tergo infirmum esse:
Plautus apud Nonium,

Quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero.
ita vt in prouerbialem propè sententiā, vt ex
hoc Plauti loco apparet, abiisse videatur. Vt
ex duello bellum factum est, è duelliis bellij:
ita quoque bellus duellus ab antiquis diceba-
tur: Titinius apud Nonium, Lenti calido, duel-
la rapula, rumice. nam duella rapula quid aliud
est q̄ rapula bella? Internundinum, spatium
quod inter nundinas est, veteres Latini voca-
uerunt: vt intermenstruū quod inter menses:
Varro, quoties priscus homo ac rusticus Rom. internun-
dinum

dinum barbam radebat. Lucilius, *paucorum atq; hoc pacto si nihil gustat internundinum.* quod Nonius duobus verbis diuisum inter nundinū legit. Inorum, quod ore caret, poetica dictum est licentia à Turpilio de ostreis. nam ea pars in ostreis nulla cernitur. *In acta,* inquit, *cooperta age inoras ostreas.* In multatione antiqua, qua vel ouis vel bouis impendium pœnaque irrogabatur, dicit Plinius libro 8. capite 3. non omitendam esse legum priscarū benevolentiam. Cautum quippe fuisse, ne bouem priusquam ouem nominaret, qui indiceret multam. ubi ea benevolentia legum sit, multi requirunt. ego in eo quod antè ouis quàm bos nominabatur. quis enim nescit leuius fuisse ouibus quàm bobus multari, qui & maioris æstimationis sunt, & aratores in agriculturæ instrumento numerantur. ita parcebatur colonis & patribus familiâs, cum potius oues quàm boues impendere cogebantur, & leuiore pœna defungebantur, armentis & iugis non ablati aut disunctis: & ut ouibus & bobus multaretur, tamen irrogatio pœnæ à leuiore incipiebat, minori que terrori erat, priore minoris pecoris nominatione.

CAPVT VI.

Lyræ lyræ, per tempus obuiam est, dare nequam, ballista, muriatica, pensilis vua, prima cum, visitare sorbilo.

VT in aliis linguis, sic & in Latina verba quædam sunt hœticia, vel effutitia potius, quæ nugatorium quiddam significant. tale est butrubata apud Festum lib. 2. sed & apud Plautum in Pœnulo, Sc. Sæpe ego. *lyræ lyræ,* hoc in versu Pœnuli,

Gerræ germanæ atq; ædopol lyræ lyræ.

scio quid eruditi horum verborum loco subiiciant: hæc etiam verba ex decuriari ab aliis intelligo, & in albo lacunam patere: sed mihi membranarum quarundam peruerterum auctoritas fidem facit, *lyræ lyræ germanum esse & effutitium,* ut dixi, quod & antè monui. Ibidem, *Scitum est per tempus, si obuiam est verbum vetus:* vel, ut alij legunt, *si obuiam it,* quo sensu dictum est? opinor significari, verba vetera, id est, prouerbia & sententiâs, scita esse, cum tempestiuè vsurpantur. verbū autem vetus est, quod antè Agorastocles dixerat, deberi ei libertatē & grates gratias. Nequam veteres vsurpabant pro nequitia & malo, cum etiam in homine malo & improbo poneretur: vnde iocus Plautinus eadem scena,

Vm? tu illi dare nequam nunc? A. Cupio. Mi. En me dato.

ludit enim hîc ex ambiguo: cum dixisset, *vin? illi dare malum & incômodare,* ut qui responderet intellexit: quasi tamen de se improbo seruo loquutus, præter expectationem subiicit, *en me dato,* qui nequâ sum. Ut catapulta, quæ in tormentis bellicis numerabatur, etiam in-

terdum tragulam vel sagittam significat, quæ Ballista. catapulta mittebatur, sic apud Plautum ballista tormentum videri non possit, ut sæpe, sed tormenti telum, in Pœnulo, eadem scena,

*Cui iam infortunij intenta ballista est probè,
Quam ego haud multò post mittam è ballistario.*

quanquam fortasse pro tormento nō malè accipietur, quod mitti etiâ dicitur, cum mittuntur ab eo tela. Ballistarium autem locus est, vnde de ballistæ mittebantur. Quæ falsamenta ab aliis vocantur, ea hoc loco muriatica appellat Plautus, *Quasi,* inquit, *falsa muriatica esse autumatur.* Iterum, Sc. Negotij qui volet.

Muriaticae.

Scit muriatica ut macerent.

Limare caput in Plauto coniungere Nonius interpretatur: sed coniungere ex eo significat, quod qui amatores cum amica caput iungunt, tanquam terunt & limant sese mutuò fricando, dum osculantur in venere: vetus lexicon sociare explicat.

Ac vide sis, inquit, *nunquam cū illa limaui caput.* *Siquidem,* inquit, *tu es mecū futurus pro vua passa pensilis:* vuae sæpenumero suspenduntur, ut passæ fiant, etsi alia ratio earum faciendarum est. vnde illud Varronis lib. 1. de re rustica, cap. 68. *pensilia,* ut vuae, sorba, ipsa ostendunt quando ad vsu opor- teat promi. Horat. lib. 2. satyr. 2.

Pensilis vua.

— *Tum pensilis vua secundas,*

Et nux ornabat mensas. Eadem scena,

Quia non iam dudum antè lucem ad ædem Veneris venimus,

Primæ ut inferrenus ignem in aram.

in membranis peruetustis reperi, *Prima cum ut inferremus.* ut sit, *prima cum,* pro, cum prima luce, quod genus loquendi apud Nonium in quodam auctore me legisse recordor. In iisdem membranis erat, — *Ego saxo*

Prima cū?

Si non irata es ninnium pro te dabit.

sat scio ninnium equuleum interdum Græcis significare: sed puto tamen scribendum esse, *numulum pro te dabit,* id est, te pecunia sua liberabit. sed & illud sic lego,

Impias here te, oratorem verberas.

Impias.

Impias autem valet, *impiè facis,* & scelere te contaminas.

Hem mihi iam video propter te visitadum sorbilo. valet, video mihi propter te vapulandum & gemendum, suspiria enim & gemitus vapulantium imitantur spiritum sorbentium. *Lego etiam,*

Visitare sorbilo.

Qui bene volunt, bene vis item.

non ut vulgo, bene visitent,

Atque hic me ne verberet, illum faciat, nisi

Te propitio malè formido.

hanc scripturam asserimus, quæ adiuuanda est gestu fustuario aut virgis vapulantium. illum enim vapulatē intelligit, vel herum plagas inferentem & infligentem.

CAPVT VII.

Profecare exta, funditare, lenullus, clauator, condoctus, nec rectè dicere, tecum oro.

Qvandoquidem in manus Plauti Pœnulum sumpsi, ex ea etiam nū fabella huic libro aliquid aspergamus. Sc. Quid nunc.

Maiorem partem minore habitas mea:

fic è veteri membrana lego hac sententiā, Tibi licet impunè hæc ædes vendere in auctione. maior enim pars tua est, minor mea, vt accessiuncula mea impedire venditionem legemq; mancipij non possit. Sc. Dij illum.

Profecare
exta.

Iratus vetui exta profecarier.

exta cocta solebant profecare, vnde & profecta dicebantur: ac partem adolebant, partem consecrabant, sacerdotibusq; dabant: partem sibi apponebant: sic lustralibus extis vescuntur apud Maronem 8. Æneid. Tranquillus in Augusto, cap. 1. *semicruda exta raptā fūco profecuit.* Ouid. 6. Factor.

Inde vbi libauit, profecta sub æthera ponit.

Arnobius lib. 2. *cum Romulo Pompilioq; regnantibus percocta planè & madida concremarentur dijs exta, nonne sub rege Tullo semicruda cepistis, & leuiter animata porricere, prisca obseruatione contempta?* Eadē scena,

Lenullus.

Lenulle de illa pugna pentethronica,

offirmato animo assero ex illa vetusta membrana, aliquantulum tamen scriptura conturbata. Lenullus autem, Prisciano libro 3. teste, diminutium est lenonis: nunc quidem lenullæ, quod excusum extat in quibusdam libris, quis explicat? At ille alter sensus disertus est, & Plautina venustate tinctus. Eadem scena, 30

Eò præsternebam folia farfari,

lego, non prosternebant. id est, antesternebam, ne vilcus adhæresceret. Hic mihi non placet Seruii interpretatio in 7. Æneid. qui Farfarum fluuium Italię interpretatur: quasi verò de fluuio ac non de foliis arboris vel herbæ agatur? Est enim farferium herba, nymphææ non dissimilis, populi folio, sed ampliore, quæ ferranum etiam & farfugium vocatur: Apuleio farfaria est beronica. in membranis illis *farferi* legebatur. Eadem scena, 40

Eos volantes iussi funditarier.

Funditare.

funditarier valet, fundis peti: inde etiam illud, Sc. Negotij qui. *tantula tanta verba funditat*, id est, iactat velut funda. mox etiam lego, *cum necabam illicò*. se enim id, non alios fecisse, id est, se volaticos homines interfecisse dicit. Sc. Ita me dij ament.

Nequicquam hos procos mihi elegi:

procos pro proceribus, vt alio loco annoto, veteres dixere: sed hic irrisionem subesse puto, quòd senes sint, nec ea ætate qua procos quis suis filiabus deligere debeat. Ibidem, *si nec rectè dicis nobis*: nec rectè, pro non rectè veteres dixerunt, quod est malè: exempla passim & apud Plautum & Nonium extant. Ibidem,

Nec rectè
dicere.

Vinceretis ceruum cursu, vel grillatorem gradu.

hæc scriptura patrociniò & assertionē Festi & Nonij nititur: tantum tamen tribuo illis aliquot membranarum, quas aliquando habui, vt earum lectionem testari & interpretari debeat, *vel clauatorem gradu*: sunt autē clauatores, qui claua vtuntur, vt qui corynetes est voca-

Clauatores.

tus: sed & calones militum, ligneas clauas ferentes, quod genus hominum & laboriosum & velox est, cursorumque interdum officio fungitur. Is obscuro vos sensus idoneus est, qui cum irrisu explodatur, an potius qui hilariter excipiat, cum lepore comico nihil indignum præ se ferat. Sc. Iam tenes præcepta.

Fac modo vt condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.

Condoctus.

10 M. *Quin adepol condoctior sum quam tragœdi aut comici.*

fic in utroq; versu condoctum lego, non conductum, & membranarum ad stipulantibus, & fauente sensu. Condocti autem comici sunt, qui fabulam quam acturi sunt, vnà fideliter edidicerunt, gestumque agere sciunt. oportet enim histriones peritos esse, & fabulam quam acturi sunt simul edidicisse antequam in profectum prodeant, quo nisi fallor respexit. Ibid.

Hodie iuris coctiores non sunt, qui lites creant.

ridiculum dictu iuris coctiorem pro iuris doctiorem dicere, quod vrbantate comica conditum protulit, ambigui occasione vsus. nam & ius culinarium coquitur, & coctus ac recoctus dicitur, qui in re aliqua tyro non est. Ibid.

Qui si nihil est litium, lites serunt.

Ego lites emunt in sua iura repono. nā quid controuersus & litigiosus esse potest, quàm lites emere? Sequitur,

Vos quidem hercle cum eo, cum quiqui, tamen Et benè & benignè facitis.

alij pro, cum eo, magna animi libidine scribunt, commendo, dum malunt sua somnia quàm poetæ sensa proferre: cum inquit, qualescunque litis, tamen benignè facitis.

Et quidem quasi tu nobiscum adueniens hodie oraueris.

Tecū oro.

Nobiscum orare, pro, nos orare, archaismus est in Plauto non infrequens, sed ideò notandus, ne eius insolens lector mendii suspicione adductus aliquid moueat loco & deprauet. Sc. Iam istuc ego. *Capiti vestro id quidem, lego, nō capite: ac optantis est, cum vt aliquid mali in alterius caput expetat desideramus.* simile est illud Aristophanis, *εἰς λυγανλίω οοι.*

CAPVT VIII.

Hecate vlulata, amor, frons funereā, apud Maronem.

Anobilissimo poetarum & facile principe scribitur lib. 4. Æneid.

Nocturnisq; Hecate triuijs vlulata per vrbes.

Hecate
vlulata.

quòd ea dea nocturnis sacris coli soleret, cum in diis inferis numeretur, quibus noctu sacra facere religio antiquorum præcipiebat. veneficæ itaque ei tum operari solebant in triuijs, cum ea *prodixit* à Græcis ista de causa vocetur, à Latinis triuia: cum vlulatu autem ei veneficæ sacra faciebant: Horatius satyra octaua libri primi, *Cum sagana maiore vlulantem.* Apuleius lib. 11,

Lictor sceminz.

res, lictorem sceminæ in publico vnionem esse distantes. eodem tamen modo exponendum arbitror, pauperes sceminas vnionibus gaudere, quod in publico cum sunt, ipsis de via decedatur, videanturque diuites: vt margarita sit pro lictore sceminis, turbamque summoueat. Audio doctissimos viros in alia sententia esse, emproremque & licitatorem exponere. sed & verbis vim afferunt, & pro arguta elegantique sententia turpem & inelegantem comminiscuntur. Legendum autem illic puto, *viciumque Antonium pronunciauit omine rato.* cum autem homine irato reperissem in quodam peruetusto exemplari, legendum aliquando credidi *omine nato:* sed in peruetustis membranis, quæ in bibliotheca diligentius asseruandæ sunt quam gemmæ in dactylothea, difertè planeque scriptum reperi, *omine rato.* nam firmum certumque omen ei factum fuit, ipsum bello Actiaco superatum iri. In iisdem membranis illud ibidem sic lego, *ne triumuiratu suo nimis superbiat Antonius, penè histrioni comparatus, & quidem nulla sponsione ad hoc producto, quo magis refugium fiat.* quo id magis regium erat, est publicatū: & quidem vix est quisquam qui non putet perbellam esse sententiam: mihi planè talis videtur. Itaque tantum abest, vt eam improbè, vt mirificè laudare solem: sed alteram è ruderibus antiquorū librorum erutam proicere iniqui iudicauit esse: & ex ea licet elicere sensum idoneum, sponte nō aliquo coactu Clodium vniones obsorbuisse. sponsione enim interposita libertas animi videtur tolli, neque vtrumuis licere videtur: & qui sponsione vrgendus cogendusque fuit, refugit, nec libera animi susceptione fecit. refugisse igitur erit, id quod dixit, refugium factum esse.

Omine rato.

meritate omnia regi: qui in hac fuere sententia, temeritatem casum esse censuere, quod Græci τὸ ἀντίμαλον vocant, quæ Epicureorum sententia fuit. Fortunam autem deam quandam cæcam antè illam, qui apud Pacunium loquebatur, posuerat, quæ tametsi inconsideratè omnia permisceret & turbaret, tamen sensu prædita esset: at verò casus incertas quasdam temerariasque rerum vicissitudines nullo rectore gubernatarum, sed vtunque res tulit fluitantium cadentiumque significat. Ita altera sententia nullum imponit mundo rectorem præsidemque: quæ fortunam tuetur, administracionem numini mandat imprudenti cæcoque, sed tamen sensum aliquem habet. Cæterum cum eodem libro scribitur, *quæ hoc modo concludentur, aut ex contrario conuertentur:* hoc genus refutandi imprimis firmum intelligit, quod Græci ἀντίστροφον appellant: de quo, ne longior sumatur oratio, à Gellio lib. 5. 9. & 11. differitur. Illud autem paruum dictum quidem, verum obseruandum tamen, quia ab aliud agentibus fortasse præteriretur, existimari pro æstimari à veterere poeta in illo versu vsurpari,

Temeritas.

Existimare.

Quid eum accussem, qui id parui auditu existimet? hic enim liquidò existimet, est æstimet: vt & apud Salustium scriptorem antiquariū, in oratione Macri Trib. pleb. si Quirites parum existimaretis, quid inter ius à maioribus relictum vobis, & hoc à Sylla paratum seruitium interesset. Illud autem eodem ad Herennium libro notandum, hæc sibi, vt conquestè conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus. nam consecutus, est perdidiceris, perceperis, quod Græcè παραλαβὴν dici solet. ad perceptionem enim referri ex eo patet, quia mox subiicit, tuæque perceptione letaberis, tu scientior eris præceptorum artificio.

Consequi.

CAPVT XI.

Dialectici, in ætate, temeritas, existimare, consequi.

CAPVT XII.

Supponere cultros, quomodo cædebantur hostiæ, Maro & Iuuenalis explicantur.

Dialectici

Cornificio lib. 2. ad Herennium, in amphibologia, Dialectici non alij sunt quam Stoici, vt & aliàs sæpe apud Ciceronem: nam quod diligentissimè rationem disputandi calebant, nomen vniuersum proprium suumque effecerant. Cornificius, *vehementer, inquit, pertinere cognitionem amphibologiarū eam quæ à dialecticis profertur.* Argentario autem tuleris expensum, superuacaneum erat monere legi debere, nisi ita libros omnes obtuleris occupasset, vt alterū illud tuleris velut iniqua quadam rogatione expulsum exularet: quod nunc ope nostra beneficioque ab exilio reuocatur. In ætate, apud eum in versibus M. Actij, est interdum, genere antiquo loquendi. *Immune est facinus, verum in ætate vile:* id est, tamen interdum vtile est, & conducit: proinde, quia hoc conducibile aliquando est, se amicū castigaturū profitetur. Nam, inquit, *amicum hodie meum. Concastigabo pro commiserita noxia.* Sunt, vt è Pacuio scribit, philosophi qui fortuna negat miseriam esse vllam, sed te-

In ætate.

Hostias solebant veteres primum seculi bus cædere aut clauis, deinde prostratas suppositis cultris iugulare, idque à ministris popis aut victimariis fiebat, quod ex Halicarnasseo intelligimus, ita scribente, *ὄνειρον τὴν τοῖς νεωτέροις ἀπὸ τῶν ἀρχαίων. τὰν ἢ οἱ μὲν ἕλθοντες ἐπὶ τοῖς δὲ μάλιστα συντάξαι τὸς ἑσθλάτους ἑσθλας, οἱ ἢ πιντοῖς ἐσθλάτους τὸς σφαιδίας.* His Dionysij verbis, vt insertis in fenestras solis radiis totum conclaue illustratur, sic elucescit quod à Marone scriptum est libro secundo Æneidos,

Quomodo cædebantur hostiæ.

Qualis mugitus fugit cum saucius aram Taurus, & incertam excussit ceruice securim. malè enim impactam securim à ministro deicere hostiam parante intelligit. Æneid. 6.

Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem Excipiunt pateris.

Supponere cultros.

antè enim securi aut claua prostratam victimam fuisse, postea iugulatam suppositis cultris accipimus. est enim cultros supponere, quod

quod *ἑπιτιθεῖται σφαγίδης* dixit Dionysius, sub collo & iugulo ponere, quod est iugulare: sed iugulare in sacris ne dicerent cauebant, cum ominis mali verbum sit, & sacra esset vitaturū inauspicata voce. sed & quod diximus, hostias antè solitas feriri clavis aut securibus à ministris, indicat satyr. 12. Iuuenalis, qui tamen & ipse interim lucem accipit,

Sed læta ostendens Clitumni pascua sanguis Iret, & à grandi cervix ferienda ministro.

tamen heroico ritu ipsi, qui sacrificabāt, etiam hostias cædebant: quod & apud Homerum facit in fœdere percutiendo Agamemnon: sic enim scribitur 3. Iliad.

ἢ, καὶ ἀπὸ σφαγῆς ἀρνῶν τόμην νηλεὴν χαλκῷ.

quod & in fœdere fortasse etiam ab Ænea factum est & Latino lib. 12. Æneid. etsi obscurius id scribitur, nec satis exprimitur. Libro autem 6. aptè dilucideque scribitur,

—atri velleris agnam

Aeneas matri Eumenidum magnæq; sorori Ense ferit, strilemq; tibi Proserpina vaccam.

hoc ego notandum breuiter esse putavi, vt ritus veteris notitia sensum poetarū magis hominibus aperiret.

CAPVT XIII.

Disciplinabile, & quedam in Cic. explicata.

Versus est Pacuuianus, ex ea fabula in qua reuersionem Græcorum ab Illo scribebat, lib. 3. ad Herennium,

Iam domitionem reges Atride parant.

de memoria Cornificius disputans, quo pacto huius senarij quis meminisse possit, hac imagine depingit: *in loco, inquit, constituere oportet manus ad cælum tollentem Domitium, cum à regibus Martij loris cædatur. Hoc erit, iam domitionem reges: sed in hac imagine non satis perspicio quid lora, & illa manu in cælum sublatio adminiculi afferat. Martij omnino reges regum imaginem exprimunt, Domitius domitionem repræsentat: lora autè & flagra quid hinc adiuuent memoriam, non intelligo, sed puto hoc ipso iuare, quòd imago ita sit acrior & actuosior, magisque sensum laceffat & commoueat, & memoriam ex eo efficacius exuscitet. Sequitur mox in altero loco, Aesopum & Cimbrum subornare Iphigeniam, Agamemnonem & Menelaum. hic tragædos interpretor Aesopum & Cimbrum, qui Agamemnonis & Menelai personas sustineāt, atque agant: de illo quidem loco haftenus.*

Quæ autem est eodem libro disciplinabilis scientia? nam quòd disciplinabile vlrpar, vocem eo tempore natam, quo nò homines, sed Musæ Latinè loqui videbantur: & tamen quæ est malicia nostra grauidarum fastidio delictior, quam nostra putarem insertam scripta esse contaminaturam, vt à peregrino penè vocabulo non Latino offendimur, peneque vt à barbaro abalienamur & refugimus: vt in loquendo religiosiores esse videamur illis, quos

linguæ auctores & conditores sequi & imitari studemus. Hic ego disciplinabile esse arbitrator, vt si Græcè diceres *μαδὸντὸν, διδακτὸν*, aut *μαδουμακτὸν*: non vt hoc posterius ad quatuor illas nobiles disciplinas pertinet, sed ad ea omnia dilatatur quæ disci comprehendique præceptione possunt. Est igitur disciplinabile, quod præceptionibus & institutionibus arteque & ratione aliqua doctrinaq; continetur. Id autè quia in alium sensum accipi fortasse ab adolescentibus posset, ne à voluntate scriptoris aberrent, quod non rarò accidit, scribendum esse duxi.

CAPVT XIII.

Nonæ idus calendæ, Mars Siluanus, præfaminio, piaculo, si deus si dea es, politiones.

20 CVM in enumeratione mensuorum dierum Nonæ & Idus antecedat Calendas, eaq; Calendarum conditio sit, vt præter vnum diem reliquæ alterius mensis sint: etsi primus cuiusq; mensis dies vocatur Calendæ, tamè in enumeratione trium illarum mensis partium cauebant diligenter Romani, ne ante Nonas & idus Calendas nominarēt. Itaq; nonas Idus Cal. dicebant, ne si secus nominarent, malè ominosum esset. Cic. tamen 3. in Verrem, Calendis, Nonis, Idibus dixit: in quo annotat Asconius, si modò intelligi quod annotat potest, ita vetustas eum locum delere conata est, Religioso omine nominat multitudo Nonas, Idus, Cal. Cicero Calendis & Idibus Nonas addit, quamuis hac pronuntiatione soluatur, ac temporū diuisione hoc dici videre possimus. Apud M. Cat. cap. 141. eodem modo in agri lustratione cùm solitaurilia lætentia fiunt, in immolatione porci porcus nominatur. Inest em̄ in eo vis porrigēdi, & alioqui porci in deliciis erant Romanis: contrà in mactatione vituli & agni, nominibus eorū abstinetur. nam in vitulo vis inest, in agno omen non nascendi. Mars quoq; etsi Marti Siluano res diuina tum fit, non appellatur, q, belli & vastitatis sit auctor: proinde ita scribit, Nominare veta Martē, neq; agnum vitulumq;. Quod autè illic scribitur, lanum louemq; vino præfaminio, id valet præfator. ergo quod sequitur, sic dicit, delendum est. huc enim ab illis summissum est, qui præfaminū vinum adiectionis more dici censuere, aut interpretationem adscripsere. Mars autè pater illic Siluanus est, vt & cap. 83. Marti Siluano in silua interdus. Viduitas est calamitas, inquit Fest. lib. 19. propterea quod viduare & ipoliare solet bonis: quanq̄ cùm Cato paulò post calamitatē nominet, potius esse videtur sterilitas. Piaculo apud Catonem eo cap. verbū est, quod expio significat, cùm dicit, Te hisce solitaurilibus piaculo. antedenti adiectiuum: porco, inquit, piaculo facito, id est piaculari. Subiicit mox, sic verba concipito: Si deus, si dea es. hæc verba erant in precibus Romanorum solennia, cùm deos sexu distinctos, vt & homines existimarent: in quo ab Arno-

Nonæ Idus Calendæ.

Mars Siluanus.

Præfaminio.

Piaculo.

Si deus, si dea es.

bio

Iuuenalis explicatus.

Cornificius explicatur.

Disciplinabile.

bio illuduntur merito & reprehenduntur, cuius hæc sunt verba, *nam consueſtis in precibus, ſiue tu deus es, ſiue tu dea, dicere*. Bonas autem preces precor dixit ibi Cato, quod & malæ preces ſunt, vt diræ & deteſtationes & imprecationes. etiam diuis bonam ſalutem idem dixit, quaſi ſit etiam quædam mala ſalus, cum minus comoda eſt valetudo & ſanitas. Partiariorum idem Cato fenum & pabulum dicit eſſe oportere, quod bubus ſatis ſit: cætera omnia pro indiuiſo eſſe debere: id opinor valet, cætera ipſi eſſe cum domino communia: proinde ab eo non eſſe vt pabulum & fenum ſumenda. Politior eſſe videtur, qui agros polit & colit, certam pro mercede frugis partem capiens, vt nonam aut quintam aut octauam, pro conditione agri atque bonitate ſoli: atque inde politio dicitur illa cultura, quæ paſſione talis mercedis ſit, atque adeo ipſa merces. Cato, *politioem quo paſſo dari oporteat: in agro caſinate & venaſtro in loco bono parte octaua corbi diuidat: ſatis bono, ſeptima: tertio loco ſexta: ſi granum modio diuidet, parti quinta, in venaſtro ager optimus ix. parti corbi diuidat*. Hic autem intereſt, cum corbi diuiditur aut cum modio: quod in corbi meſſoria ſunt ſpicæ nondum tritæ, in modio granum ſine ſpica purgatum. Quod ſequitur, *eam partem in priſtinum politior, ſic accipiendum reor, vt abſoluta ſit ſententia, verbo tamen vno deſtituta, vt mox quod de tritico antè præcepit vel farre, idem in hordeo declarari intelligamus*. Hæc ſi quis leuia putat, à me non diſſentit, nec nunc ea mandamus literis, quæ ſubdûctum aut contractum hominis poſtulent ſupercilium, ſed quæ grauioribus ſtudiis pro remiſſionibus & tanquam laboris condimento ſint.

Politio.

CAPVT XV.

Rupſit, noxix, inguen, ſiris, occiſit, duona, ob vagulationem, vapula Papiria, vindicia, vinulus.

Videntur veteres Latini in imminutione præteritorum tenues in duplices mutare ſoliti eſſe plerunque, vt ceperis capſis, præceperis præcepiſis, ruperis rupſis: vt in xij. tabulis apud Feſtum lib. 18. *ſi membrum rupſit, pro ruperit: noxix pro nocuerit apud Lucilium, inguen ne exiſtat, papule, tama, ne boa noxix*. Eodem autem in verſu, quod oſcitanter non fuit prætereundum, videtur Lucilius inguen pro inguinis tumore poſuiſſe, qui *Arbor* & à Græcis dicitur. Rupſis pro rapueris apud Cic. libro 2. de Legibus, *ſacrum ſacræve commendatum qui rupſit clepſit ve, parricida eſto*. Non tamè id perpetuum: ſiris enim apud Comicum & Catonem, pro ſiueris poſitum eſt: Adiuero pro adiuuero initio libri de Senectute: in xij. tabulis occiſit pro occiderit: ſed & in conſonantes duas plerunque mutabant, vt amaſſo pro amauro, leuaſſo pro leuauro: idque in coniugatione prima creberrimum. etiam iuſſo pro iuſ-

Rupſit.

Noxix

Inguen.

ſiris.

fero apud Virgil. lib. 11. *Æneid*. At dixis eſt dixeris, faxis feceris, duplici litera vt ſuperiora: & infinita alia quæ facilius auctores peruoluntanti occurrent, quam mihi cogitanti ſuccurrerent. Vt, *plenus ſacculus eſt aranearum*, dixit poeta Catullus epigr. 13. *feſtiuè & venuſtè*: ita pari lepore apud Feſtum lib. 18. Afranius, quem videtur imitatus, ſcripſit, *támne arcuſa tua plena eſt aranearum*. Vt diuis pro bis, ita duona pro bona dixerunt veteres, vt & duellum pro bellum, Duellius pro Bellius. aſſertur enim à Feſto illud, *ſimul duona eorum portat ad naues*. ſunt iſta quidem pleraque magis abolita & exoleta quam priſci nummi, quia tamen interdum occurrunt auctores rimantibus, vt protinus ſine mora & moleſtia intelligantur, operæ non peperci meæ, dum alienæ conſulo. Legem xij. tabul. de vagulatione, id eſt vagitu, clamore & conuitio, apud Feſtum lib. 19. ſic legendum arbitror, (non enim eam proponam vt perſcripta extat, ſed vt ſcribi debere mihi videtur) *Cui teſtimonium deſuerit, iſ tertijs diebus ob portum ob vagulationem iro. tertijs diebus valet, diebus perendinis, vt dicitur tertijs nundinis. ob portum, ad ædes: ob vagulationem, ad quiritandum & conuitium homini faciendum, qui ad teſtimonium dicendum non venerit*. Vapula Papiria ibidem, pro uerbiſtis eſt, ortum à quadam ancilla, quæ libertate donata à Papiria hera ſua, patronam mox contempſit, ac manu miſſa & libertate freta mox benemeritam ingrâte aſpernata eſt. Ancilla enim illa continuo ſe libertam ſalutauit, cum patronam ſalutare deberet (qui enim manu miſſi erant, mox manu miſſori, ſalue patronæ, dicere ſolebant) & patronæ dixit per contemptum, vapula Papiria. Plauti verba ſunt apud Feſtum,

Duona.

Ob vagulationem.

Vapula Papiria.

ideo dico, liberta ſalue, vapula Papiria.

Suales & ſcabres, pro ſqualidus eſt & ſcaber, dictum eſt à priſcis: Pacuius apud Feſtum, *Suales ſcabresque inculta vaſtiudine*.

Apparet veteres hominum, quos execrabantur, caput velare ſolitos in pœna ſumenda: unde illud Ciceronis pro Rabirio, *Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito*. Sic & voto vere ſacro, qui nati fuerant, & ad adultam ætatem peruenerant, velati extra fines exigebantur. Etiam in re diuina caput velabant, præterquam Saturno, cui non operiebant ſed aperiebant caput, cum ſacrificabant. In vindiciis apud Feſtum libro 19. extat elegans Lucilij, ſed corruptum tamen carmen, quod ita legendum ſuſpicor,

Vindicia.

Nemo hinc vindicias, neque ſacra aut numina reſtur.

cuius ſententia eſt, Nemo hinc ius vllum eſſe putat, aut vlla ſacra aut numina. Nam vindicias partem quandam iuris, pro iure poſuit. Vinulus in Aſinar. Sc. Vtrum iſtorum, mollis eſt, ex vini diminutione: cum enim vinum quod generoſum non eſſet ſignificare volebant, vinulum & villum appellabant: unde adiectiuum vinulus eſt factum: neque enim aliud quicquam comminifci poſſum. meas autem coniecturas quamuis leues nec ſagaces eo libentius adſcribo, vt

Vinulus.

bo, vt

bo, vt doctiorum certiores atque veraciores eliciam. Et si enim non est magnum damnum in huius vocabuli ignorata origine positum, tamen quia commodius est eam scire quam ignorare, eam persequi & peruestigare industrię potius diligentis fuerit, quam operę curiosę.

CAPVT XVI.

Labarum, patricius, adscriptus glebę, domestici, comes sacrarum largitionum, comes rerum priuatarum, parochus.

Labarum. LABARVM genus esse vexilli, nemini paulo humaniori ignotum est: eius est mentio apud Prudentium lib. 1. contra Symmach. hoc versu,

Christus purpureum gemmanti textus in auro Signabat labarum.

reperi in vetusto lexico etiam laborum dici: ac me hercule sic scribi video apud Hermiam Sozom. lib. 9. cap. 4. *δοτικον η των σιδηρων η βασιλικων λαβαρων καλδαιου.* Vtitur hoc verbo labari & Ambrosius: sed & Septimius Florens in apologetico ca. 16. scribit, *Sipara illa vexillorum & laborum stolecruentum sunt.* Eadem sententia apud Arnobium lib. 8. extat, his verbis, *Nam & signa ipsa & cantabra & vexilla castrorum quid aliud quam inaurate cruces sunt & ornate?* Sed quę cantabra sint, non ita dictu promptum est: videntur esse cantabra que Tertullianus labara vocauit. ego, si capitalis ista forte audacia nemini esse videatur, vnus literulę immutatione lubenter cõtabra legirim. nam vt a candela candelabrum: sic a coto contabrum diceretur non ineptę: amplius tamen pronuntiabimus, & non liquere nobis dicemus: vocabula ita rara difficiles habent explicatus. Immo verò calumniam emendationis illam damnabimus, ac legendum affirmabimus, *signa ipsa atq; labara.* cantabrum autę est

Patricius. tium Imperatorum patricius, quam superiorum & consulum, honos enim erat qui a principe deferebatur, eoq; titulo & merito honoratus pater Imperatoris vocabatur, vt in institutis, de patriciatu loquens Imperator ait, *imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, que sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?* & apud Sozom. lib. 8. c. 7. *Ετος γαρ μετ' αυτων των βασιλικων δυνασεων, μετ' ην παρ' αυτων, αυτα μεν η δυναμειν, επ' αυτη ην πατρως βασιλικωσ αγεισιν ητιμωθη.* Claudianus lib. 2. in Eutropium,

—genitorq; vocatur

Principis, & famulum dignatur regia patrem.

Et quarto libro Epigrammatō, *εις φαρρον ἀνεξαιδης, σθησιν τοις ναματοις ἀμυμωνιος δε βασιλικωσ επ' αυτην*

Olim igitur patricij ex eo appellabatur, quod patrem cieret, postea quos imperator patres ciebat. quod quidem & reges Francię imitati sunt, quosdamq; satrapas patricos vocarunt, quos antiquitatis ignari pares appellant. Adscripti

Adscripti tñ glebę. tñ glebę. qui a iurifconsultis appellantur, cum agro vna seruibant domino. & cum fundis mancipabantur alienabanturque: eo-

rum conditio facile ex auctore Gręco Sozomeno intelligi potest, ita lib. 9. cap. 16. scribente, *κατ' εβραϊστικη η ταυτων καλημεινησ τις εμωδισλος τω αγρω.* In imperatoris comitatu erant milites & equites qui domestici vocabantur, quorum frequens est in Marcellino mentio: sed & apud Sozom. lib. 9. cap. 7. *αδελωφωσ η δε αυτω γαμνησ αδελφωσ η γρημων των ιππειων δομιστινων καλομειων.* Equuleus tormenti genus est a similitudine nomen habes, quasi paruus equus sit. erat autem machina lignea equo similis, cui imponebantur qui torquebantur. eius crebra est apud Marcellinum & Senecam mentio. Sed & *Ευλου βασιανισθου* videtur appellare Sozomenus lib. 5. cap. 11. *ηδη δε μασιε προσαγαγων προς το βασιανισθου ευλου αικωρεσθαι προσετατην.* Comes sacrarum largitionum erat quęstor ille, qui thesauris sacris, id est, imperatoris & augustalib. pecunijs preerat. Comes rei priuatę, qui patrimonium Cęsarıs curabat & administrabat. hæc verba & sæpenumero in iure & in Marcellino leguntur. Eorum autem magistratuum ea quę posui munera esse, è Theodoretō colligi facile potest, sic lib. 3. eccles. hist. cap. 12. scribente, *φιλιξ μεν ταμιωσ αυτων βασιλικων δυνασεων, ιππειωσ δε η ιλιων το βασιλικωσ ιτημωτων η χρηματων των ηγεμονικων πολιτικων. νεμωτα δε περιβοτων η τοις αυτο προσαγορνωσ ιτασσαι βαμωσι.* Nō solum parochi sunt qui præbenda magistratibus redemerunt, verum etiam equi qui cursus publici causa præbentur, quę tamen significatio a superiori deducta videtur. Ita fit vt in illa actionis, in hac perpektionis sensus infit: *καμωσ η η αυτων δινερησαστο, ε μη τινη των παρεχων ιππων ιτασσαι κατωσ τλωσ δυναων δυνασθησ.*

Domestici.

Equuleus

Comes sacrarum largitionum, reipriuatę.

Parochus

CAPVT XVII.

Cleãthas in accusatiuo, supercilio breuior coma? vexantur leges, porrigo, prurigo, vna liuorem ducit, contingere melle, conduta pyxide lyde, apud Iuuenalem sat. 2.

SCRIBIT Iuuenalis saty. 2. Et tubet archetypos pluteum seruare Cleanthas. quo in versu qua ratione sit ille accusatiuus Cleanthas formatus, ambigi potest. neq; enim accusatiuus esse potest quintę declinationis Gręcorum, propter rationem contractionum. est igitur primę attico more. dicunt enim Attici Socratas in plurali, & Diogenas: eodem dictum modo accipio Cleanthas. Ibidem.

Cleãthas.

Atque supercilio breuior coma:

in Stoicos dicit, qui præ se ferebant magnam in vultu seueritatem, cum tamen interea clam fœdis libidinibus dediti essent. hi, quod alere comam delicatum putarent & parum virile, capillum raserant, & *εσ χρωσ κρησιν* erant: quod hic Iuuenalis dicit. Lucianus de Stoicis, *αλλου κδλασ τον εσ χρωσ κρησιν, ικδνον τον στυδωπον, η απο η σωσ.*

Coma breuior supercilio.

Eadem satyra Peribomius non Peribonius, & è veterum librorum auctoritate, & syllabę modulo legendum est. Sed &, *frontis nulla fides,* in priscis codicibus legitur, et si frontis vulgò

asseritur. vtrumq; de hac sede litigare potest, idque iure. Laronia autem in iisdem modò, modò Latronia reperitur: in Martiale lib. 2. epig. 32. Laronia, quod & verius puto: quanquam nec Laronia eijcio: sed hoc perleue est. *Quod si vexantur leges*, valet, si negotium est legibus exhibendum, & si aduocandæ sunt contra vitia. qui enim vocantur vt veniant, eis labor iniungitur, & vexari videntur: & sic in Euageio Lucæ c. 7. scribitur, *ὡς οὐδὲν*. Eadè sat. 10

Vexantur
leges.

Porrigo.

Vnius scabie cadit & porriginis porci. quibusdam in libris melius pruriginis legitur, vt & in Iustino lib. 36. de Iudæis: *cum scabie & pruriginem paterentur.* Isidorus in cutis vitij lib. 4. etymol. cap. 8. *prurigo*, inquit, *vocata à perurendo & ardendo.* Sed porrigo capitis videtur morbus esse, furfuribus & farina quadam obstiti: Serenus cap. 3.

Prurigo.

Cum caput in mensa pexum porriginis nungit. Prurigo corporis pruritus & asperitas. Serenus cap. 6. pruriginem intelligit cum scribit, *Pruritus autem salsos leuat humor aceti.*

Porrigo quoque apud Lucilium perspicue capitis est, eius carmè est apud Non. in Porrigo.

Triste & corruptum scabie & porriginis plenū. sed & apud Celsum. habere autem potius à porro olere nomen quam à porrigendo, syllaba originem ostèdente, videtur. Eadem Saty.

Vua liuore
re ducit.

Vuaq; conspecta liuorem ducit ab vua, hoc ego de liuescentibus sub vindemiam acinis vuarū accipio, ex populi opinione dictū, cèsentis vbi liuere & nigrescere cœperat vnus vuarū acinus, protinus propinquum eo conspecto velut inuidia quadem similem colorem ducere solitum esse: dum denique tota vua maturesceret & nigra esset. quod autem in acino dixi, idem in vuis fieri censebant. vbi enim vnam viderat vna maturescens & liuidam, eundem colorem ab ea trahi. Ibidem,

—supercilium madida fulgine tinctum.

hic archetypi & antiqui libri tactū habent. Tangere autè veteres pro tingere, imbuere, linere, alpergere etiam dixerunt: Lucretius lib. 1.

Contingunt mellis dulcis flauoq; liquore.

Contingere
melle.

rursus, *—croci contacta colore.*

iterum, *—museo contingens cuncta lepore,*

id est imbuens, tingens: quomodo & tangere vsurpauit Cato. & Maro 3. Georg. Et parco sale cōtingunt. in Lucretio tamen cōtingere à tingere, non tangere, multi interpretantur, nec à me reprehenduntur. sed & cōtineta colore, non cōtacta, legunt. Ibidem,

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,

Et curare cutem summi constantia ciuis

Betriaci in campo spolum affectare palati,

Et pressum in faciem digitis extendere panem.

hæc ego plura adscripsi vt doceam quo distinguenda pacto sint. non enim recepta interpunctio tam conuenit sententiæ, quam quæ à me introducta est. sensus est, Parum cōsentaneum esse Galbam interficere & cutem curare: alterum enim viri fortis est, alterū mollis & fracti: nec cōstanter facit qui acie palatium & impe-

rium affectat, & tueri atq; retinere conatur, & de statione sua dimicat & capite: & q facie māgonio & lenocinio fucat & expolit. Ibidem,

—siue hic recto cantauerit ære,

legendum est *cantauerat*: quod est, siue esset tibicen. dictum feliciter: id ex eo scriptum, quod omina in nuptijs fausteq; acclamationes adhibebantur: Papinius in Epithal. Stellæ & Viol.

Vix dum emissa dies, & iam socialia præsto

Omina, iam festa feruet domus vtraque pompa.

Ead. saty. *Segmenta & longos habitus.*

hic Seruius in lib. 1. Æn. segmenta, monilia interpretatur: sunt & segmenta vestes quæ velut zonis quibusdam ornata & prætextæ sunt, vt Isidorus lib. 19. etymol. cap. 22 exponit.

Ibidem, *Et segmentatis dormisset paruula cunis:* de veste à Seruio explicatur, quod segmentata veste cunæ eius contextæ essent, quæ aureis velut circulis erat distincta, & gemmis in lineam

currentibus variata. Segmenta aurea Valerio Maximo videtur esse aurea monilia. Indignissimum porro censet eum nubere & in mulierè degenerate, qui & nobilissimus & salius Martis esset dei bellicosi & virilis & generosi.

Iterum. *—quod nil animis in corpora iuris.*

sic in veteribus libris, & melius: quanquam Ouidius scribit, lib. 1. amor. eleg. 1.

Quis tibi seu puer dedit hoc in carmine iuris?

Eadè saty. *Turgida non prodest condita pyxide lyde,* quicquid digladiantur Grammatici, legèdum è iuratis libris exilimo: ac de vnguentaria intelligo, quæ medicamenta promittebat sterilitatem curantia, qualia à medicis referuntur. Lydia autem mulieres turgidæ erant: Papi-nius lib. 1. Syluarum,

Hoc plaudunt grege Lydie tumentes.

Non putant, inquit Iuuenalis, esse vllos inferos hodie nisi qui perpusilli pueri sunt: tu tamen inferos esse putato, & illic manes esse Curij & Fabricij, iuuentutisque Cannensis. Cum igitur ad eos tales descendunt, nonne cupiunt se lustrari & expiari, vt cōtaminatos impudicissimorum aspectu? legendum igitur hac interpunctione,

—animæ, quoties hinc talis ad illos Umbra veni?

Lego etiam *—arma quidem vltra Littora luernæ promouimus,* è scriptis libris sine interrogatione.

CAPVT XVIII.

*Nunquid vis, felix cerebri, est paucorum hominum,
tricesima sabbata apud Flaccum lib. 1. sat. 9.*

IN illo elegatissimo & suauissimo festiuissimoque sermone Horatij, quo graphicè exprimitur importuni scurræ & hominis odiosissimi molestia, *nunquid vis occupo*, more Romano dictum est. sic enim loqui solebat, qui vel discedere ab aliquo, vel aliquem à se dimittere volebat: Terentius in Eunuchò actu 2. Sc. 3.

Rogo nunquid velit: rectè, inquit, abeo.

Ait Horatius Saty. 9.

Felix cerebri.

—O te Bollane cerebri Felicem aiebam tacitus. vbi Græcari videtur. nam illi *μοιχαριστοσιν* *αυτην* *φρονιματος* dicunt, subaudiuntque *αυτην*, vt & hic subintelligitur causa. Cerebrosum autē fuisse Bollanum indicat, apertæque & ingenuæ libertatis & bilis hominem, qui molestos ferre nullo modo posset, sed eos obiurgaret audacter, & à se contumeliosè dimitteret amandareque. Sed nec illud omittam, quod leue dictu est: *totus in illis*, legi in antiquis exemplaribus, cum ab editionibus exulet cōiunctio, qua quidem scio & sententiam carere posse.

Trans, inquit, Tiberim longè cubat is prope Cæsaris hortos.

Iulij Cæsaris horti trans Tiberim erant prope portam Portuensem: de industria autem locum longinquum in vltima vrbis regione situm mentitus est extra Ianiculum, vt affectatorem à se ablegaret atque remoueret.

Vnde venis & Quo tendis, rogat & respondet:

hoc ita interpretor, rogauit me vnde venirem & quo tenderem: & mihi quoque roganti vnde veniret & quo tenderet, respōdit: vtrunq; enim miro orationis cōpendio cōstrinxit. qd̄, inquit, solet rogari vicissim & responderi, vnde venis & quo tendis, rogauit & respondit.

Est, inquit, tibi mater? Cognati? quis te saluo est opus? habesne charos & propinquos qui tuo auxilio egeant, quos à te curari oporteat, quorum negotia à te geri, potius quàm me otiosè commitari, qui nisi te saluo & incolumi salui esse non possint, nec si te careant. Importunus ille & odiosus nebulo se omnes suos sepelisse ait, neque quicquā se negotij habere. Illud porro, aut valeo stare, est: cum homines cogantur stare in iure ante prætoris tribunal, neque ibi sedere liceat aut honestum sit, tandiu ego illic stare non possim, nec te iuuare queam, qui ius nescio. Ait apud Flaccum ille scurra, paucorum

est hominum. *hominum & mentis bene sanæ*, quod est, paucos in amicitiam recipit, neque vulgo ad eum familiariter aditus patet, neque se multis communicat, sed paucis iisque valde prudentibus sanisque. Apud Ciceronem de *Arato*, (referente Macrobio lib. 3. satur. cap. 16.) acipenser paucorum hominum perfacetè dicitur, ad cuius dapes multi conuiuæ non sunt adhibēdi, quasi acipenser multis cōmunicari nolit. Cicero, nam cum esset apud se ad lacum Auernum Scipio, vnaq; Pontius, allatus est sorte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur: sed est piscis, vt ferunt, imprimis nobilis. Cum autem Scipio vnum & alterum ex his qui eum salutatum venerant, inuitasset, pluresq; etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas: acipenser iste paucorum hominū est. Ibidem Flaccus,

—coq; Difficiles aditus primos habet:

qui se facile vinci expugnariq; sentiunt, cum quid ab ipsis petitur, se muniunt aduersus fallacium & audacium hominum postulationes, aditum ad se intercludendo. At verò tricesima sabbata significare videntur neomeniam, vt quidam non ineleganter censent, quæ feriæ tricesimo quoque die, mensis initio repetunt.

Tricesima sabbata.

Nam Iudæorum menses triginta dierum erāt, vt menses Atheniensium: ac sabbatum pro festo die hic ponitur, ob sabbati cultum: & neomeniæ tricesima sabbata vocantur, ad discrimen sabbati septimi. Satyricum autem vocabulum est oppedere, honos auribus, ioci causa & risus positum, in feria oratione & honesta & graui re non vsurpandum.

CAPVT XIX.

Argumentum vltimæ eclogæ lib. prioris sermonum Horatij, sale defricare, caput fluuiorum, seri studiorum.

SATYRA Horatij cuius principium est, Nempe incompōsto, vt appendix quædam & accessio libro priori subscribitur, vt Horatius fingit: hinc illud,

I puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

Nam cum audisset aliquos iniquo animo ferre Lucilij reprehensionem, pro apologia imperat amanuensi suo aut scribæ, vt hunc sermonem, quem distauit vel scripsit pro clausula adiungat superioribus satyris. Urbem autem sale defricare in eo venustè & falsè dictū est. nam cum sal dicta significet & faceta & ridicula mordaciaque, & soleamus interdum marino aut folsitio sale, quo in cibus & medicamentis vtimur, aliquid defricare vt palatum pecoris, qui dictis facetis perstringitur, eum dixit sale defricari: Columella lib. 6. cap. 11. totumq; eorum palatum sale defricato. Sic & apoplectici sale defricari solent, vt dolore excitetur iensus, qui torpet.

Sale defricare.

—magnas, autem, plerunq; secat res,

significat, res maguas decidit & transigit melius, quàm acris & seuera sententia: quali *dicat*. At verò,

Cum versus facias teipsum percontor;

præcilè dictum est, sententiaque sic explenda est: cum versus facis, an decorum putas & concinnum intermiscere Latinis Græca, quod Lucilius fecit, & ludens postea Aufonius, sed sine reprehensione, cum de industria & opera dedita. intermiscere petita igitur, ad duo pertinet per subiunctionem: vel potius quod in versu facis, interrogo te an faceres in causis agēdis, si aduersarium haberes Messalam aut Pedium, essesque orator & patronus causæ durissimæ. Ergo, cum versus facias, est, tu qui poeta es, an in causis id faceres, vt verba foris petita verbis patrijs admisceres oblitus patriæ & patris Latini: Latine tamen antiqui videntur interpretes legisse, & vir politissimæ orationis & doctrine Lambinus eleganter legit. Seri autem studiorum, sunt indocti, qui serò discunt, aut didicerunt scilicet, neq; sunt *discipuli*, sed *discipuli*. Fabius lib. 1. cap. 12. quare qui in sua quidque arte optime facit, *discipulus* dicitur. Defringit luteum caput, venustè dixit. nam & caput de fluminibus dicitur, vt Cæsar 4. commentar. Rhenum duobus capitibus in Oceanum dicit effundi, ostia significans: &

Seri studiorum.

Fluuiorū caput.

capita fluuioꝝ etiam dicunt eorum fontes: sed & fluuij humana forma aquam vna effundentes pingebantur, fingeanturq; & fingi dicuntur quæ e materia molli in statuas formantur, vt e luto & cera. At iste malus poeta & inelegans, non tã fingebat quàm velut figmenta de formabat deturpabatq;: nec tã e cera egregia faciebat opera, quàm e luto fingebat: nam & luteum negotium de vili toreumate dixit Cicero 6. in Verrem. *Garrere libellos* dicitur, vt garrere sermonem, garrere garritum, argurè & dicaciter effundere & eloqui: vt od. 1. Olymp. *γάρτερον ἀνδρα* dixit Pindarus. vnde & garrere ortum videri potest. denique vt dicimus ludere poema. *Cimex* autem *Pantilius*, & ad contemptũ dixit Flaccus, ex insecti nomine fœtoreq; omnib. inuisi, & q. ab eo roderetur modereturq;.

CAPVT XX.

Sandix, in cauo, notarius, notoria, disci corymbiati, lances pampinatæ, boletare, boletarium, chlamys boni luminis.

VERSVS est Maronis 4. Ecl. imprimis elegans, sed vna in voce tamen ambigua & incertæ inter doctos interpretationis, Sandix. *Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.* Plinius li. 35. ca. 6. sandicem herbam intelligit, & vt verum fateamur, est concinnior sententia, agnos inter pasendum eius herbæ, quam comedant, succo colorari. Cõtrã tendunt recentiores Grãmatici nec contemnendi: censent enim sandicem esse colorem e sandaracha & rubrica temperatum, quod & Plinius retulit. itaque nihil asserunt cur cõtemni Plinij auctoritas debeat, quæ etsi confirmanda nõ est vllõ testimonio, indebitus tamen & non necessarius produceretur testis, vt hoc Plinium nõ esse commentũ intelligat: Hefychius enim ita scribit, *Σάνδις ἔστι βοτάνη ποικίλη, ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ χροῖός ἐστι κίτρινος ἢ ποικίλος, ὡς αὐτοῖσι.* Videtur & de herba loquutus potius q̃ de pigmento: Gratius, cùm scripsit,

Interdum Lybico fucantur sandice pinne.

quasi ea stirps in Lybia proueniat: nisi si quis ceseat metallum illius pigmẽti illic fuisse, aut officinam, quando in factitijs pigmentis erat. sed illud alterũ de planta verius crediderim in Gratio, vt & in Vopisco, cuius hæc verba sunt in Probo, *Dicitur enim sandix Indica talem purpuram facere sicuretur.* Sed vt à poeta ad historicum trãseamus, qui nostro more diuersa nectimus, & fertum varium pingimus: cauum in argento poni pro argento vasculario animaduerti, vt apud Trebellium in vira Claudij, *In cauo scyphos pondo duodecim.* Iterum, *Item in cauo scyphos & trullas pondo duodecim:* id Græcorum imitatione dictum, sic *νοῖνον* vsurpantium. Eodem in scriptore, notoria nõ esse videtur epistola notarij manu scripta literarũ compendijs: nam & Imperatores notarios habebant secretorum, vt in vita Aureliani scribitur: & alios præterea notarios, vt e Marcellino didicimus: sed & tribu-

Incauo

Notoria.

nis ac ducibus notarij dabantur, vt ibidẽ, *Notarium quem refundat vnum.* notarium autem descripsit Aufonius epigram. 150, cùm dixit, *Puer notarium præpetum.* Et Martial. lib. 14. epigr. 208.

Notariũ

Nondum lingua suum dextra peregit opus.

& Basilius in epistola, *οὐ γὰρ τὴν φωνὴν ἀπέστειλεν ἕξοσι: διὰ τὸ το σὺ μὲν γὰρ ἔσσι, ἔνα ἰπταμὲν αὐτῶν γὰρ τὸ τὰ γὰρ ἔσσι.* sed esse videtur epistola quæ aliquid notum facit & indicat, aut scriptum aliquid quod verba sunt Trebellij, *Nihil mihi grauius accidit quam quod notoria tua intimasti.* legi & in antiquo lexico, cuius mihi copiam Petrus Daniel fecit, elogium esse contextum malorum gestorum, quod notoriam dicunt: atque ita in iure ciuili accipitur.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis

Diffusos hederæ vestit pallente corymbos,

cùm eclo. 3. scribit Virgilius, intelligo celatum fuisse poculum hederæ corymbis, & vitis pampinis inter se mutuo nexu implicatis: sic apud Trebellium disci sunt corymbiati, & lances pampinatæ, & pateræ hederatæ. Addit & Trebellius, *voletare halieuticum.* vbi quidam legunt bolitera, quibus nõ assentior. legi aliquãdo pholeterium halieuticon, vt grãdis discus esset, in quo velut stabularentur pisces: vel potius boletera, veluti piscium iactu quodã percussorem & captorem. Sed in Martial. lib. 14. epigr. 101. boletariũ reperio vasis nomen, quod & alijs obsonijs quàm boletis seruiebat,

Disci cõcorymbiati.

Cùm, inquit, mihi boleti dederint tã nobile nomẽ,

Prototomis pudet heu seruo colliculis.

Boletare etiam in Apicio legitur, vt li. 2. *ex inanies in boletari.* Igitur receptam scripturam retineo, boletare halieuticum. *Chlamides veri luminis,* cùm ait, luminosi coloris & flagrantis ardentisque intelligit, qualis est puniceus color & coccinus, nisi quis pro vero colore & claro limpidoque ac puro intelligat. Tertullianus de Pallio, *& quidem in fama de subteminis studio, & luminis consilio, & mensuræ temperamento.* Zanchæ Parthicæ quæ illic scribuntur à Trebellio, sunt vestes Parthicæ, quas de vestiario suo imperator sumi iubet: estque vt reor zancha Parthi cum vocabulum. hic laneas alij malunt, quod si auctoritate veterum facerent librorum, ego non refragarer: sed cur ego coniecturam potius quàm veram scripturam sequar? Pro orarijs sarabadenis (quando & meæ coniecturæ etiam mihi interdum non displicent, vereor etiã ne plus æquo placeat) non inuitus legerẽ saraptena ab vrbe Phœnices. lego etiã cucumã cypriam non cumacũ: & cucullia villosa duo, non cucutia, vt diminutium sit à cucullo.

Chlamys boni luminis.

Zanchæ

CAPVT XXI.

Insolatio, lanitium, dij magni, Pausus, Castores, lepra, inter falcarios.

AT si vsquam cesses & figas in cute solem, scribit Persius saty. 4. Zeno philosophus *ἠδιστα* gaudebat, & sole cutem veteres curare solebant: hinc illud eiusdem,

Insolatio.

& asiduo

— & assiduo curata cuticula sole.

id est, in insolationem, cum corpora sole torrentur, in generibus remediorum numerat medici: & Arnobius lib. 1. scribit, Nunquid ideo dicenda sunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiose rutilare se flammis? heliocaminus id est tanquam fornax solaria huc pertinuisse videtur.

Lanitiu

Si tibi lanitium curae est, cum 3. Georg. Maro scribit, non tam curam lanæ significat, quam latini pecoris, ut ex Arnobio apparet sic lib. 1. scribente, Nunquid in culpa natura est, quod lanitijs extulit importunissimam belluam? Iterum, Lanitia curent vestra numerosis factibus multiplicari. Ut duellum bellum est, sic duellis apud Arnobium hostis, qui alijs perduellis est, Cur duelles cum pereunt laeuum augurium non sum. Æn. 3.

— feror exul in altum

Magni di

Cum socijs natoq; penatibus & magnis dijs. magnos deos a penatibus diuersos facit Maro: etsi multi eisdem censent, sed penates dii penetrales videntur fuisse, diique familiae: dii magni illi, qui maximum imperium & nume habent publiceque coluntur, ut Iupiter, Iuno. Arnobius lib. 1. non denique dii magni aut fingentes se deos genus omne mortalium terriant. Iterum, hoc ergo dii magni nouerunt, perpetiuntur, sentiunt. Deos magnos lares urbis Romae ceter esse Alconius: ita enim scribit, Et dijs magnis id est laribus urbis Romae dati sunt.

Pausus.

Pausus deus videtur fuisse qui pausam afferret & quietem, quem bellis aduersarium, repugnantisque Bellonae potestatis fuisse suspicamus ex Arnobio sic scribente, Qui Faunos, qui satius ciuitatumq; genios, qui Pausos reuerentur, atque Bellonas. Castor & Pollux Castores vocati etiam sunt ab antiquis: Trebellius in Valeriano, cum ob imperatorias literas in aede Castorum senatus haberetur. Capitolinus in Maximinis, cum ventum esset in eadem Castorum. Arnobius, Tindaride Castores vnus equos domitare consuetus, alter pugilator bonus. Hydram, quam Latini scriptores extram vocant, appellat ibidem Arnobius natricem quod serpens esset aquatilis: Quod multiplicium, inquit de Hercule loquens, capitum superauit compescuitq; natrices. Lapidem quosdam religiosissime pagani colebant, & ut ad eorum cultum praetereuntes inuitarent, vgebant: qui fortasse lapides diui a quodam Latino scriptore appellati sunt. Tales erant & agrorum termini: Arnobius, si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine ornatum, tanquam inesset vis praesens, adulabar, affabar. Quae a domino in Euangelio curatur lepra, ea non est elephantiasis, sed vitiliginem Arnobius vocat, de domini miraculis loquens, his verbis, vnus fuit e nobis, cuius facie vitilignes iusioni obtemperabant. Iterum, vitilignes, querqueras atque intercuties morbos: de domini etiam miraculis verba faciens. Rursum, ille notas albantium vitiliginum manu admota detest. Falcarij in Cicerone Catil. 1. videntur esse qui falces faciunt: significare etiam hoc vocabulum potest eos, qui falces gerunt, ut contra-

Castores

Lapis lubricatus.

Lepra.

rij sunt qui contos habent: Capitolinus, Placuerat vt contarij cum eo transirent. quanquam non eo inficias quin & contarius in illa priore notione poni possit. Priscianus quidem meae subscribit sententiae, & apud Ciceronem venire inter falcarios interpretatur, venire in locum vbi erant falcarij: quod & Attico more dictum purat, vt apud Hocratem in Arepag. Genus quoddam fabularum Milesiarum fuit, in quo Asinum suum numerare videtur Apuleius, cum scribit statim initio, At ego ubi sermone isto Milesio. & Capitolinus in Claud. Albino, his verbis, cum ille nanijs quibusdam animalibus occupatus inter Milesias punicas Apuleij sui & ludicra literaria consenseret. Haec est satura lanx, velut varijs obsoniorum generibus condita, dum opiparo magis apparatu volumus quam frugi coenae lectorem accipere, qui si ad epulas aliquas nauseabit, alijs fastidium detergeat: & quod suo respuet palato, relinquat alterius gustui: alij enim dulcibus, alij acidis delectantur: neque solum exquisitis cibus, sed etiam parabilibus & vulgaribus multi acquiescunt, quales multos appono. sed non potest semper a Phaside auis peregrina peri, nec ex India condimenta quaeri.

Inter falcarios.

CAPVT XXII.

Passer Catulli, coluba, vehitur passeribus Venus, myrtus asia, Aurunculeia, & quadam alia in Catullo declarata.

ELEGANTER & delicate politissimus & doctissimus Catullus ludit in passere amicae. quod eo facit consilio, vt cum amicam Veneris cultricem atque veneratricem sciat, auem eam ipsi tribuat, quam & veneream & falacem esse nouerat, quaque Venerem vestari nobilissima poetria & decima a Graecis muisa appellata Sappho finxerat, cuius verba subscribam ad Venerem, quae vnus est facta laeaei dicitur, cui etiam deae gratas esse columbas censebant, & in eius tutela putabant: ea quoque de causa columbam Iantidis Stella laudarat. Vehiculum quoque Veneris quadrigis olorum trahi poetarum commentum est: Papinius de Venere.

Passer Catulli

Venus passeribus vehitur Coluba.

— thalamiq; egressa superbum

Limen, Amycleos ad frana citauit olores.

quos & amori tribuit Horatius lib. 4. od. 11.

— purpureis ales oloribus

Comeffabere Maximi:

vbi vel purpureos dixit olores pulchros de purpure miranda pulchritudine, vt & Maro 1. Æneid.

— lumenq; iuuentie Purpureum.

ita Horatium interpretatur Seruius: vel poetica ad miraculum audacia est vsus, vt quem rerum natura non procreat in eo auum genere colore, eum fucaret. Querit autem Catullus cui nouum suum libellum expolitum noua pumice

donet: moxque quasi ei Cornelius Nepos statim occurrit, respōdet, *Corneli tibi*. debet igitur in expolito interfisti: quod ex Aufonio palam est, ita scribente in præfat. 15. Edyll. *Dein cogitans mecum non illud Catullianum, Cui dono lepidum novum libellum: sed αὐτονόητον non diu quaesivi. Tu enim occurristi. Sed cum 10. epigram. ait,*

Nec prætoribus esse nec cohorti:

illud prætoribus cui non scrupulum mouet, præsertim cum prætor vnus esset non multi, vt & paulò post in eodem dicitur epigrammate? Itaque non inscitè sed bellè illi faciunt, qui quæstoribus legunt: sed cum amicus sit alter ipse, putemus prætores hic appellari, qui videbantur apud prætorem multum gratia & amicitia valere, eiuſque amici habebantur, vt præfecti, legati, tribuni, contubernales: qui alteri prætores videbantur: vel censeamus pluralem pro singulari positum. Quod autem in eo epigrammate legitur,

At certè tamen, inquit quod illic Natum dicitur,

cum ab vna puella dicatur, non satis perspicio quo pacto illud inquit possit subsistere, nisi pro vt inquit intelligamus, desiderato supplemento, quod non est frequens: alioqui potius inquit id vehementer contenderim esse scribendum. Epigram. 14.

Hic autem merus est Thyonianus:

Bacchus Thyonianus.

Bacchus, inquit, iste merus est, non dilutum aqua vinum: sic vocat⁹ est Liber pater postquam rediuiuus è laniatione gigantum redintegratus est: Aufonius in præfat. Edyll. 17. *Ne in sacris & fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium, illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum.* Quod autem de Volusij annalibus ioculari dicebatur obscœnitate, idem de annalibus Tanusij celebratum fuisse, Epist. 94. lib. 14. refert Seneca his verbis, *Annales Tanusij scis quam non decori sint, & qui vocentur.* alij Tamusium tamen scribunt non Tanusium: sed Tanusium agnoscunt codices Tranquilli in Iulio, cap. 9. Cæterum epigr. 39.

Ridere catuli ore gallicani:

est turpiter & latè inter ridèdum os diducere, vt patulus erat oris ricus canibus gallicis venaticis. Iam verò epigr. 54.

Glubit magnanimas Remi nepotes.

genus obscœnissimæ Veneris significat, vt & apud Aufonium epigr. 74.

Deglubit, fellat, molitur.

Myrtus Asia.

Myrtus autem Asia est Lydia, vel quod idem est, Mæonia. Sic autem regio ad Sardis Tmolù & Caystrum vocatur, vuida & vliginosa & myrtetis aprissima. illic & Asium pratù erat, & Asia palus. Interpres quoque Apollonij scribit principio Lydiam vocatam fuisse Asiam. eius hæc verba sunt in lib. 2. Argonaut. *ἀσία γὰρ τὸ πρῶτον ἐκαλεῖτο ἢ λυδία, ἢ ἄμυρος ἀσία ἐν ἡμίονοι, ἢ ἢ νοθεῖα ἀσία λέγεται.* In epithal. Iul. & Manl. Nō tibi Au

Aurunculeia.

runculeia periculum est, vir politissimus & in gremio Musarum educatus Muretus in vetustis legi libris affirmat: sic prima syllaba eius no-

minis à versu antegresso haurietur. Cottæ autem Aurunculeij dicebantur, quorum Aurunculeia Iulia è familia vt suspicor erat.

CAPVT XXIII.

Altè cinctus, discinctus, mures, murinæ pelles.

ALTE cinctum antiqui vocabāt strenuū, fortem, virilem, minimè mollem: credo quòd genus illud cincturæ hominum non esset delicatorū: nam præcinctura vt fluxior & laxior in Cæsare argumentum habuit mollitudinis: & discincti quoq; effœminati habebantur: demissisq; esse vestibus elegantia videbatur mollioris. sed è tabularijs eruenda fides est, quando in eo genere scriptionis versamur, quod signatis tabulis ferè confirmandum est. Seneca lib. 14. epistol. 93. de Mecenare, *Altè cinctum putes dixisse. habuit enim ingenium & grande & virile, nisi illud ipse discinxisset.* Hinc illustratur duobus locis Horatius: lib. 1. sat. 5.

Hoc iter ignari diuissimus, altius ac nos, Præcinctis vnum:

id est, quod vnum esse solet strenuioribus. Iterum, lib. 2. sat. 8.

His vbi sublatis puer altè cinctus acernam Gausape purpureo mensam perterisit:

id est, fortis & strenuus seruus mensam terfit: *Eadusæuovs* tamen mulieres Homerus, id est altè cinctas alio sensu dixit. Mures etiam antiqui, quod ex eodem Seneca perspeximus, intellexerunt non tantum domesticas illas bestiolas penori infestas, omniaque rodentes: sed silue stes ferasque bestias minoris formæ, pelle cõmendabiles: quo in genere sunt martes & hermelini, quibus nobiles hiberno tempore pel-litas gerunt penulas. eo quoque nomine censeferi videntur mustellæ, quæ si veriloquium se-quaris, sunt mures longi. Sed à præcone citandi testes sunt: Seneca lib. 14. epist. 91. *non hodieque magna Scytharum pars vergis vulpium induitur ac murium, que tactu mollia & impenetrabilia ventis sunt?* Iustinus lib. 2. de Scythis, *Lanæq; vsus ac vestium ignotus, & quanquam continuis frigoribus vranitur, pellibus tamen serinis aut murinis vestiuntur.* Mastrucas quoque illis Septentrionalibus populis è pel-libus tribuit Prudècius li. 2. contra Symmach. his verbis,

Tentavit Geticus nuper delere tyrannus Italiam patrio veniens iuratus ab Istro, Hæc arces æquare solo, tecta aurea flammis Soluere, mastrucas proceres vestire togatos.

id est, vestibus scorteis: & à Claudiano iuuentus pellita eadè de causa dicitur: sic enim scribit in Paneg. de quarto conf. Honorij,

Castra cruore natant, moritur pellita iuuentus.

Hodie quoque è Scythia frigidissimisq; regionibus lautissimæ pelles murium afferuntur megistanum hiberno cultui. ad hanc classem referendi sunt mures etiam pontici, & mures alpini, de quibus à Plinio in historia naturali relatum est.

Altè cinctus.

Discinctus.

Mures.

Murinæ pelles.